



POSITIONUM CONTROVERSARUM,
EX JURE FEUDALI,
&
MATERIA DE JUDICE,
JUDICIO, ET ACTIONIBUS
FEUDALIBUS

depromptarum

DECADEM

PRÆSIDE

ERICO MAURITIO,
U. J. D. & Prof. Publ.

disputandam proponit

NICOLAUS HEINRICUS *Michaelsen* /
Gluckstad: Hoffatus.

Ad diem Julii,

horis mat.

In Auditorio Jctorum.

TUBINGÆ,

Typis JOHAN-HENRICI REISII,

ANNO MDC LXV.

1665, 14.

33

EX LIBRIS FLEWELL

MATEIA DE JUDIC

SECUNDUM

ERIC MALLIOT

NICOLAUS HERBERTUS

CHRISTIANUS

JOHANNES BERNHARDUS



W
di
han
giu
den
fue
stri

Or
le p
&
ma
me
den
Six
caus
Du
Co





I.



Actio præjudicialis, an Domino competit, contra Vasallum, si talem se esse ipse fateri nolit? competere defēdunt post Durandum, Gyphanius, Rittershusius, Helfricus Ulricus Hunnius, Wilhelmus Ludvvell, & Benedictus Carpzovius. Re-ctius tamen id nostro iudicio negant, cum Jasone, Johannes Faber, Udalricus Zasius, Sneiderwinus, Georgius Adamus Struvius, Joachimus Snobelius, & Fredericus à Sande *Commentario in Gelria & Zutphania Consuetudines Feudales*, qui alienam, à moribus imprimis nostris, Durandi & Giphanii sententiam esse notat.

I I.

Si de possessione Feudi quæstio sit, an Iudex loci Ordinarius cognoscet, an vero causa ad forum Feudale pertinebit? Celeberrimi Jcti, Henricus à Rosenthal, & Hermannus Vultejus Iudicis loci ordinarii legitimam cognitionem esse volunt: quam sententiam Cameram Imperialem haud dubie sequi, Rosenthal, ejusdem præjudicia laudans, asserit, & probat illam glossa, Sixtinus, & Amadaeus a Ponte in *Tractatu quis sit iudex in causa Feudali*. Nos cum Matthæo de Afflictis, Curtio, Duareno, Claro, Francisco Milanensi, Mynsingero, Colero, Rittershusio, Scultzio, Dn. Ludvvello, & Dn.

Struvio, pro Feudali foro stabimus; tanto lubentius, quod adversam opinionem communiter reprobata[m] esse, jam sua aetate scripserit Baldus.

III.

Pares, quando in Feudali causa judicant, an Juramentum quoque de recte judicando peculiare prestare teneantur, praeter id, quod antea cum de feudo investiti sunt, praestiterunt Domino, contraversa non vacat. Wesembecius, Hartmannus Hartmanni, Han-
neton, Colerus, Rittershusius, Schraderus, juramen-
tum peculiare requirunt: quam opinionem veriore[m]
esse, ac in multis gravissimis causis observatam, idem,
quem modo nominavimus, Schraderus; & praxi in
terris Saxonice receptam Colerus scribit. Nos, cum
Zasio, Mynsingero, Schneidevino, Vulteio, Borchol-
to, Sixtino, Obrecht, Hunnio, Gothofredo Antonio,
Reusnero, Scultzio, Suevo, Ludvvello, Struvio, pecu-
liare juramentum, praeter primum illud, quod jam
continet, quod velint & jus aequum in judicando fide-
liter observare, non requirimus. Quam sententiam
cum Jure Feudali communi convenire Struvius, pro-
babilior[m] & receptior[m] esse Mynsingerus, ita ple-
rosque interpretes sentire Vultejus, & moribus Ger-
maniae convenire ipse alioquin dissentiens Hartman-
nus, & autor additionum ad Sneidvvinum; eique
etiam jus Saxonicum ad stipulari videri, Reusnerus ju-
dicavit.

IV.

Si bona controversa, & de quibus ambigitur, feu-
dalia sint an allodialia, juncta sint praedio quod sine
con-

controversia est Feudale, pro Feudalibus ea habenda, & possessionem adjudicandam Agnatis, usque dum successores Allodiales ea hæreditaria esse probaverint; Schraderus, Berlichius, Colerus perhibent; atque ita apud Carpzovium in Responsis pronuntiandum putavit Facultas Juridica Lipsiensis. Verior tamen est opinio eorum, qui & illa allodialia in dubio censerunt, quam suam fecerunt Everhardus Junior, Vultejus, & ab ipso adducti plures *lib. 2. de Feudis cap. 3.* ubi & præjudicium habes Camerae Imperialis: eamque probant Carpzovius & Dn. Struvius; atque ita judicavit, non habita ratione responsi Facultatis Juridicæ Lipsiensis, supremus Senatus Appellationum Dresdensis apud Carpzovium.

V.

Differentia Juris Civilis & Feudalis illa etiam DD. observatur, inter illos, Sonsbecio, Borcholto, Vultejo, Paulo Christinæo, Gudelino, quod *actore non probante Reus absolvatur.* Sed nullam hac in parte differentiam agnoscere vult Dn. Struvius. Licet enim juramento, qui absolvitur, defendere se jubeatur, id tamen non fit eo casu, quo actor plane nihil probat; sed tum demum, si pro actore aliqua sint præsumptiones, quas reus non possit elidere. Et Dn. Ludvvellus id a foro nostro recessisse, ac probationes, maxima ex parte ad Jus commune redactas esse, post Zasium, Vultejum, Rittershusium, optimè monuit, quod & observat Snobelius.

VI.

Consuetudine an induci potest, ut solus Domi-

A 3

nus

nus pares Curiaë eligat? Negant Gailius, qui & præju-
 dicio Camerali suam opinionem tuetur, Zasius, Hun-
 nius, Rosenthal, Scipio Gentilis, Obrechtus, Suevus,
 Scultzius, Ludvvellus; sed, affirmativam veriore &
 communiorem ait Schrader, & Hartmann Hartmanni,
 qui eam multis in locis consuetudine servari, quod i-
 dem licet alioquin aliter sentiens Modestinus Pistoris
 commemorat, atque illud Bambergæ observari Fichar-
 dus, Camerae adhuc anno 1576. adeoq; post fata Gailii
 secundis curis placuisse ex Christiano Barthio, Vul-
 tejus commemorat, qui & illam sententiam ut poste-
 rius approbatam amplectendam censet. Quæ nostra
 sit sententia in re difficilima in conflictu explicabi-
 mus. Illud fere expeditum est pacto Investituræ in-
 serto caveri posse, ut solus Dominus vel etiam Vasallus
 eligat quod Schraderus, Rittershusius, Ludvvell no-
 tant requirenti.

V I I.

Reconventioni in iudicio Feudali simpliciter lo-
 cum faciunt DD. vulgo, sed & ex exactioribus Andreas
 de Ifernica, Baldus, Gailius, Mozzius. Nos ut agno-
 scimus eo casu, quo causa est Feudalis Reconventioni
 locum esse, ita de cætero id negandum putamus, cum
 Wesembecio, Mynsingero, Rosenthal, Treutlero, Vul-
 tejo, Sixtino, Ludvvello, Snobelio, Finckelthufio,
 Reusnero. E quibus nostram hanc Communem esse
 scribit Wesembecius, & Reusnerus, ac decisione Ca-
 merali confirmatam testatur Mynsinger.

V I I I.

Viduæ, pupilli, personæ miserabiles aliæ, Domi-
 ni Feu-

ni Feudi Jurisdictionem in causis Feudalibus declinare possint, & adversarium coram Imperatore convenire an non? quæst. est anceps, Doctorum nostrorum dissi-
 diis. Licere volunt Rosenthal, Curtius Junior, Borcholt, Speckhan, Hunnius, Ludvvell, qui tamen quoad præsentem Imperii statum fortassis adversam sententiam veram esse existimat. Negant Ludolphus Schrader; Vultejus, Giphanius, Finckelthaus, Gothofredus Antonii, Suevus, Scultzius, quorum sententiam, si de consuetudine & praxi quærat, præferendam non ambigimus. Et fortassis etiam ad rationem Juris Feudalis examinata magis illa quam altera subsistit.

I X.

Imperii Vicarios durante Vicariatu de Feudis majoribus (licet illa conferre non possunt) cognoscere tamen posse non dubitamus, cum Limnæo & Suevo. Licet ea de re ambigat Arumæus.

X.


Dominus an ejus etiam Feudi judex esse possit de quo Vasallum Investire coactus est? Negativa Baldo, Curtio, Rosenthalio. Affirmativa Borcholto, Vultejo placuit. Ludvvellus priorum opinionem ita probat, ut Domium Feudi tanquam suspectum recusare possit Vasallus. Cæterum si nihil opposuerit, vasallus etiam hunc Dominum legitimum Judicem esse autumat.

F I N I S.

X 2615924

Vb 17





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

RSARUM,

DALL,

UDICE,
ONIBUS

1665, 14.

M

33

ITIO,

ol.

Michaelsen /

REISIL